

fione Geometrica numerus illi suprapositus, vt in superiori exemplo perspicue apparet; facile inueniemus numerum cuiusq; loci in progressione Geometrica, etiam si non scribamus omnes numeros intermedios. Sit enim inueniendus, verbi gratia, numerus in vigesimo loco supradictæ progressionis collocandus. Primū scribo quatuor, aut quinque, vel plures numeros progressionis, vnā cum progressionē naturali, vt hic vides:

1. 2. 4. 8. 16. 32. 64.

0. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Deinde multiplico. v.g. 8. in se, facioq; 64. numerum septimi loci, sub quo nimirum positus est numerus 6. vna vnitate minor numero locorum; quòd numerus 3. sub 8. duplicatus faciat 6. Quòd si multiplicemus 8. in 64. faciemus 512. numerum decimi loci, sub quo nimirum scriberetur numerus 9. vna vnitate minor numero locorum, quòd numeri 3. & 6. sub quarto & septimo loco faciant 9. Rursus si 512. numerum decimi loci, sub quo ponitur numerus 9. multiplicemus in se, producemus numerum 262144. in loco decimonono scribendum, sub quo nimirum poneretur numerus 18. vna vnitate minor numero locorum, propterea quòd numerus 9. sub decimo loco duplicatus facit 18. Iam vero quia ex 18. qui numerus sub decimonono loco scribitur, & ex 1. sub secundo loco posita fiunt 19. si multiplicemus numerum 2. supra 1. positum per numerum 262144. supra 18. positum, conficiemus numerum 524288. in viceesimo loco, sub quo vide-

Quo pacto numerus cuiuscunq; loci in progressionē Geometrica incipiente ab 1. inuestigetur sine intermedijs.